

monasterium obligamus, et dictos censum et redditus in ipsam Misnensem ecclesiam transferimus eo iure, quo ipsos hactenus possedit monasterium nostrum saepedictum, obligantes nos nihilominus, nostros successores ac dictum nostrum monasterium ad iura supradicta reddenda ac alia incumbentia onera ratione dictae parrochialis ecclesiae subeunda, renuntiando expresse omni iure privilegio libertate consuetudine, praescriptione ac alio quocunque iuris vel legis auxilio, per quod seu quae contra supradictas promissionem, obligationem et donationem nos iuvare possemus quoquo modo. In quorum omnium testimonium praesentem litteram scribi fecimus et sigilli nostri conventus appensione muniri. Datum et actum in praefato nostro monasterio Dobelin anno domini M°.CCC°. quinquagesimo primo in die nativitatis beatae Mariae virginis gloriosae.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Convents an einem Pergamentstreifen.

No. 460. 1352. 13. Jan.

*B. Johann bestätigt die in vorstehender Urkunde ausgesprochene Zueignung von Zinsen an die Domkirche.*

Johannes dei gratia episcopus ecclesiae Missnensis recognoscimus tenore praesentium, quod cum abbatissa et conventus sanctimonialium monasterii in Dobelyn Missnensis diocesis de unanimi consensu voluntarie et ex certa scientia tractatibus et sollempnitatibus debitis praecedentibus duo talenta denariorum Vribergensis monetae minus viginti sex denariis et unum modium tritici annui census solvendi in festo beati Martini, et duo maldaria siliginis in allodio seu curia in Sthûchowe, ubi olim fuit monasterium dictarum sanctimonialium, annuorum reddituum in praedicto festo solvenda in ecclesiam nostram Missnensem transferre et a dicto monasterio alienare perpetue voluissent; nobis pro parte . . capituli dictae nostrae Missnensis ecclesiae fuit humiliter supplicatum, quatenus dictae alienationi nostram auctoritatem ac nostrum consensum et dictos censum et redditus dictae ecclesiae nostrae Missnensi incorporare et appropriare dignaremur. Nos praefati . . capituli nostri precibus annuentes supradictae alienationi nostrum adhibemus consensum et auctoritatem nostram impartimur confirmantes, appropriantes et incorporantes supradictos census et redditus dictae ecclesiae nostrae Missnensi harum serie litterarum, quas in praemissorum omnium testimonium scribi fecimus et sigilli nostri appensione muniri. Datum Stolpin anno dom. millesimo CCC° LII° in octava epiphaniae domini.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen, mit dem Siegel an einem von der Urkunde selbst zum Theil losgetrennten Pergamentstreifen.